



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLIX. Gregorii Papae I. Ad Bonam Abbatissam. De monasterio eius  
in melius transmutando.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

hæretici codicis, qui ad me ex regia vrbe transmissus est, agnoui per hoc quod quædam capitula catholica cum hæreticis fuerant reprehensa, quia quidem illam Ephesinam primam Synodus in eadem vrbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita, omnino necesse est ut caritas vestra eamdem Synodus apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam ecclesiam requirat, & qualiter in veritate habeatur inueniat. Vel, si placet, hinc dirigemus quæ ab antiquitate seruata in scriniis habemus. Illa enim Synodus quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quædam in se oblata capitula afferit approbata, quæ sunt Cælestii atque Pelagii prædicamenta. Et cum Cælestius atque Pelagius in ea Synodo sint damnati, quomodo poterant illa capitula recipi, quorum damnabantur autores. Quia vero peruenit ad nos in orientis ecclesiis nullum ad sacrum ordinem nisi ex præmiorum datione peruenire, si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, vt a subiectis sibi ecclesiis errorem simoniacæ hæreseos compescat. Nam, vt alia raceam, quales esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hoc non merito, sed præmiis euehuntur? Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cælesti custodiatur, & de iis qui sibi commissi sunt fructum multiplicem ac mensuram supereffluentem ad æterna gaudia reportare concedat.

## EPISTOLA XLIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD BONAM ABBATISSAM.

De monasterio eius in melius transmutando.

*Gregorius Bonæ abbatisse.*

Hæc epist.  
eadem est  
cum 44. li-  
bri 5

**E**CCLESIASTICA damnum non sentit vtilitas, si res aliis competentes cognita veritate restituat. Cognouimus itaque Ioannem quondam presbyterum sanctæ Romanae ecclesiæ, cui auctore Deo deferimus, in domo iuris sui posita in hac vrbe Roma iuxta thermas Agrippinas oratorium construxisse, atque illic quosdam redditus legati titulo reliquisse: in quo etiam oratorio seruorum Dei congregationem esse constituit. Et hæc omnia ut debuist-

## EPISTOLARVM LIBER VII. 661

sent impleri, testamenti sui pagina sanctæ memoriarum Pela-  
gio decessori nostro mandauerat. Sed quia morte occupa-  
tus hoc non occurrit implere, & domus ipsa cum horto  
suo ab actoribus nostræ ecclesiæ detinetur; iustitiae nos ra-  
tio vehementer incitat huiusmodi piæ dispositionis arbit-  
rium adimplere. Sed quoniam illic pro difficultate tem-  
poris noua seruorum Dei congregatio adhiberi non po-  
tuit, feminarum saltem ibi congregationem constituen-  
dam esse decreuimus, atque ideo & locum ipsum solenni-  
ter dedicare. Et quia monasterium tuum, vbi prius fuisti,  
in ruinæ erat periculo constitutum; te illic cum congre-  
gatione tua constituere Deo annuente perspeximus, qua-  
tenus & in supradictæ domus monasterio, iuxta voluntati-  
tem defuncti, Domino redemptori nostro seruiens habi-  
tare congregatio debuisset, & imminens potuisset pericu-  
lum euitare. Præterea considerantes antediicti presbyteri  
voluntatem, perpetuo illic tempore monasterium esse, at-  
que ad eamdem domum in integro cum horto suo & re-  
bus inferius designatis, quæ a testatore relictæ sunt, pro-  
prietatis iure constituimus pertinere, id est, massam Ma-  
gulianensem cum appendiciis suis via Nomentana mil-  
liario plus minus vndecimo, tabernam in hac vrbe, quæ est  
posita iuxta Palacenas, & salgamum positum ante do-  
mum supradiicti monasterii. His igitur ita concessis atque  
dispositis, dilectione tua diligenter inuigilet, vt & Dei illic  
laudes salubri studio deuotissime, vt moris est, celebren-  
tur, & supradictæ res ad ius ipsius pertinentes nulla, te neg-  
ligente, occasione depereant. Hanc enim solicitudinem  
non solum te, sed etiam eas quæ loco tuo successerint  
in prædicto monasterio & rebus superius designatis con-  
stituimus nihilo minus exhibere. Data mense Maii, indi-  
catione vndecima.